

in hoc cultu posset objectum primum et secundarium. Nonne Christi Corpus et sanguinem in Eucharistia adoramus? Numquid Ecclesia in hoc cultu distinguit objectum primum a secundo? Quis concipere potest humanitatem Christi in concreto existentem absque Verbo per quod sustentatur vel supponitur?

(5. De objecto hujus cultus jam loquuti sumus, aliquid præterea dicendum venit de motivo ejusdem cultus. Cavendum enim est ne cum objecto confundatur cultus motivum. In quodam Officio ab Ecclesia approbato hæc

legimus: « Cor Jesu caritatis victimam venite adoremus. » Hinc motivum esse potest, quia Cor omnium affectionum sedes; vel quia in communi loquendi usu Cor symbolum est amoris. Hæc motiva colligi possunt a Ven. Margaritæ revelatione; et ex ipsis Sacris literis. Finis hujus cultus a verbis illis officii innoscitur: « quam caritatem Christi patientis, et pro generis humani redemptione morientis, ... ut fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant. »

SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETA

JUXTA VOCUM QUÆ HOC VOLUMINE RECENSENTUR
SERIEM DIGESTA.

CADAVER.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. In tumulatione cadaveris tam Canonici, quam alterius in Cathedrali Ecclesia Cajetana non debetur Parocho defuncti quarta funeralis S. Con. Rit. Cajetana. 16 Julii 1737, ad 6.

(2. 3. An liceat hæredibus defuncti asportare cadavera e propriis domibus ad Ecclesiam Parochialem per modum depositi, antequam illa processionaliter deferantur ad Ecclesiam Regularium, et Parochi teneantur recipere? Et quatenus affirmative. S. C. « Affirmative in omnibus, petita tamen, quamvis non obtenta, licentia Parochi. » Firmana. Funerum die 7 Maji 1763, n. 3.

(4. An, et quale emolumentum debeatur Parochis ratione ejusdem depositi, in casu etc? S. C. « Deberi Parocho intortitia tantum, quibus cadaver expositum fuit, dummodo aliquas preces expleverit. » Ibid. n. 4.

(5. An Parochis, cæterisque Ecclesiasticis associantibus cadavera ad Ecclesias Regularium, liceat exigere pro dicta associatione majorem eleemosynam, et emolumentum, seu potius illud dari solitum, occasione associationis faciendæ ad Ecclesiam? S. C. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ibid., num. 5.

(6. An cæteri Ecclesiastici, et confratres associantes cadavera, teneantur introire Ecclesiam Regularium, ibique solitas sacras preces una cum Regularibus canere, et totum Officium absolvere, in casu etc.? S. C. « In casu, de quo agitur, serventur Constitutiones Synodales. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Ibid. num. 6.

(3. An in occasione associandi corpus defuncti alicujus, qui fuerit de cura, et populo Ecclesie Cathedralis Politianæ, ad Ecclesiam S. Blasii positam intra fines Ecclesie Parochialis S. Bartholomæi de Castello Diocesis Politianæ, in qua associatione invitati fuerint Capellani Ecclesie Cathedralis absque inter-

ventu Capituli, et invitati fuerint Presbyteri inservientes dictæ Ecclesie S. Blasii, debeatur præcedentia Capellanis præfatæ Cathedralis, vel potius Presbyteris ipsis inservientibus Ecclesie S. Blasii tamquam Clero Ecclesie tumulantis?

Et S. C., habita prius ejusdem Rmi Episcopi informatione, ad relationem præfati E. et R. Domini Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit: « Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et ad mentem E. Ponentis. Et mens est, quod Episcopus prohibeat Capellanis, Ecclesie Cathedralis, ne, cum in publicis supplicationibus, sive defunctorum associationibus procedunt absque interessentia illius Capituli, almutium in brachiis deferant; indecens enim est, quod ipsi Capellani, qui cum Capitulo duntaxat unum corpus faciunt, ab eodem corpore disjuncti, iis etiam utantur Insignibus, quæ non membris, sed toti corpori conveniant. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Montis Politiani juris præcedentiæ, die 20 Julii 1765.

(4. Patres Minores Conventuales, in associatione cadaverum tam in propriis, quam in aliis Ecclesiis tumulandis, non possunt erigere vexillum, seu stemma Religionis vulgo *stendardino* S. R. C. Albanen. Funerum die 18 Septembris 1787, ad 2.

(5. Delata ad S. R. C. ex parte Domini Alexandri Mariæ Licoë Sacerdotis ex Clericis Regul. Min. Confessarii Monialium Asceterii S. Jacobi Terræ S. Ginnesii, Camerinen. Diocesis, controversia inter eum exorta, et Capitulum, sive nonnullos Canonicos Ecclesie Collegiatæ dictæ Terræ circa jus agendi exequias super cadaveribus Monialium ipsius Asceterii: Num scilicet competat Confessario Monialium, an vero præfato Capitulo?

Eadem S. C., attenta relatione totius questionis facta a R. Archiepiscopo Camerinen. qui audivit tam Capitulum, quam Moniales,

proponente Dubium E., et R. Domino Cardinale Gazzoli relatore, decrevit: « Celebrationes exequiarum spectare ad Confessarium pro tempore. » Camerinen. die 16 Martii 1805.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Cum ex præscriptione constaret favore

CANONICATUS, CANONICUS.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Quinque Dignitates Capituli Militen. prætendunt ipsis celebrantibus solemniter ex antiqua consuetudine Canonicos ministrare debere; contra vero Canonici asserentes sese in Presbyterali Ordine constitutos non decere inferiori deservire; eoque magis quia in eodem Capitulo adsunt Hebdomadarii, quorum alii Presbyteri, alii Diaconi, vel Subdiaconi, quibus propterea id oneris incumbere videtur. Auditis proinde partibus, Sacra Congregatio decrevit, ut sequitur: « Canonici Dignitatibus, et Canonicis inserviant; Mansionarii vero Mansionariis. Militen. die 24 Novembr. 1591. »

(2. Essendo stati letti, et considerati nella nostra Congregazione de Sacri Riti due Memoriali dati successivamente per parte de Gonzalo Ramirez de Molina Canonico di codesta Chiesa, de quali saranno qui incluse le Copie, è parso a questi miei Signori Illustrissimi, che in nome di essa Congregazione io scriva a V. S. come fo con la presente, che per evitar li molti scandali, et inconvenienti rappresentati alle SS. LL. Illustrissime, li quali in ogni luogo, e tempo conviene, che si fuggano, ma specialmente in Chiesa, in Coro, e nelle Processioni: « Sia contenta di usar l'autorità sua in far osservare dalli Canonici lo Statuto del Capitolo, quale si presuppone essere conforme alla ragion comune, e confermato dalla Sede Apostolica, cioè, che quelli, che sono in Sacris precedano a quelli, che non hanno Ordini Sacri, li Sacerdoti alli Diaconi, e li Diaconi alli Suddiaconi; e se quelli del Capitolo, che allegano a favor loro la concordia, forse si aggravassero di questa provisione, contuttochè il Procuratore di detto Capitolo sia stato più volte citato, potranno far dedurre le loro ragioni, le quali saranno dalla Congregazione benignamente udite, e si ministrerà loro compiuta giustizia, che è quanto intorno a questo negozio m'occorre scrivere a V. S. Jaen. » da Roma alli 28. Luglio 1592.

(3. Nomine Decani, et Capituli Ecclesie Oscen. supplicatur, per Illmos DD. Cardinales super sac. Ritibus declarari: An Episcopus cum duobus de Capitulo possit circa cæremonias aliqua ordinare, et stabilire?

Ad prædictam petitionem S. R. C. respondendum censuit: « Concedi posse Episcopo, ut ipse juxta cap. 12. sess. 24. de reform. cum duobus Canonicis, quorum unus ab ipso, alter a Capitulo eligatur, in iis, quæ ad debitum in Divinis Officiis regimen spectant, et cæteris, quæ necessaria erunt pro ipsius Ecclesie utilitate, certam formulam præscri-

PP. S. Augustini degentium in oppido Montis-falci de bono jure tumulandi cadaver Claræ Pompili, non autem favore Parochi Collegiatæ Ecclesie ejusdem loci ad hoc PP. Augustinianis reddenda esse emolumenta funeralia decrevit Sacra Congregatio in Spoletana juris tumulandi 18 Dec. ad II Dub.

bere valeat usque ad Synodum provinciale proxime habendam, quæ tamen regulis Pontificalis Romani, ac Breviarii, et Missalis nuper reformatorem Rubricis non adversetur. Oscen. die 7 Julii 1593. »

(4. In Ecclesia Dei ordo præcipue servandus est. Itaque cum maximè indecens sit, majores inferioribus ministrare; censuit S. C. quod, « celebrantibus Canonicis, seu Portionariis, Dignitates prædictæ, neque Evangelium, neque Epistolam cantare debent; quæ Dignitates celebranti Episcopo assistere, et inservire tenentur. » Calaguritana Pro Dignitatibus, et Decano. die 7 Septembris 1593.

(5. Quæritur: an Canonicus, qui in Ecclesia Cathedrali locum tenet Vicarii, et gerit personam Cardinalis Archipresbyteri, debeat in Choro habere digniorem locum, et præferri etiam iis Canonicis, qui sunt Episcopali dignitate insigniti?

Item: Si contigerit aliquando Vicarii Pape suffraganeum, qui in illa Ecclesia jurisdictionem non habet, devotionis tantum causa adesse in Choro, non autem actu exercendi aliquod Pontificale munus, an tunc debeat et præferri Canonicus, qui tenet locum Vicarii, et refert personam Archipresbyteri Cardinalis, suffragante præsertim veteri illius Ecclesie consuetudine?

Ad dubia proposita nomine *Canonici locum Vicarii obtinentis in Ecclesia, quæ Archipresbyterum habet Cardinalem*, S. R. C. censuit: « Hujusmodi Vicarium, si jurisdictionem habet, præcedere debere omnes in eadem Ecclesia, etiam eum Episcopum qui suffraganei officio in Urbe fungitur, et alios quosque devotionis causa Divinis Officiis in Choro interessentes. » Urbis die 8 Februarii 1594.

(6. Canonici Cathedralis Ecclesie Montis Pilosi petunt declarari, an sit servanda ejusdem Ecclesie consuetudo, ut Canonici Dignitatibus inserviant quando pontificaliter celebratur?

Et S. R. C. respondendum censuit: « Vetus consuetudo absque ratione, et temere, non est mutanda. Servetur itaque ea in Ecclesia usus hactenus receptus; quod, si quid habent in contrarium, oretenus dicant. » Montis Pilosi die 28 Martii 1597.

(7. Pro parte Episcopi Fundani fuerunt proposita infrascripta Dubia, videlicet:

1. An Capitulum Collegiatæ S. Mariæ Civitatis Fundanæ debeat dare præcedentiam Capitulo Ecclesie Cathedralis invitato, vel ad Festum Titularis, seu alterius, vel ad funeralia, in eadem Collegiata.

2. An, cum utrumque Capitulum invitatur

ad Processionem funeralium, debeat Capitulum Collegiatæ accedere ad Cathedralē, ut se cum Capitulo Cathedralis ejusdem conjungat, vel liceat id facere in quadam via?

Quoad primum caput, censuit S. C. « Canonici Cathedralis Ecclesiæ Fundanæ præcedere debere Canonicos, cæterosque Ecclesiæ collegiatæ tam in funeralibus Officiis celebrandis, quam in aliis actibus, etiam intus Collegiatam. » Quoad secundum: « Canonici, et Capitulum Ecclesiæ prædictæ Collegiatæ in funeralium Processionibus congregentur in Ecclesia Cathedrali, et inde cum Canonicis Cathedralis discedant, et incedant, consuetudine in contrarium asserta non obstant. » Fundana. die 2 Sept. 1597.

(8. Decanus Ecclesiæ Abulen. exposuit consuevisse olim Canonicos ante versum *Pretiosa* in prima facere processionem pro defunctis, inde convocare Capitulum, et, eo peracto, prosequi Primam: qui mos, cum visus sit repugnare rubricis ecclesiasticis, intermissus est, et post Primam integre absolutam processio facta, et Capitulum celebratum. Sed cum in præjudicium rerum Ecclesiasticarum multi nunc deserant Capitulum, supplicat, ut liceat pristinam consuetudinem reassumere.

Et S. R. C. respondit. « Si adsunt negotia necessaria pro Capitulo, poterunt convocari Capitulares, etiam pœnis appositis, sed non impediatur processio post Primam. » Abulen. die 7. Aprilis 1598.

(9. Sendo stato significato a questa Congregazione de Sacri Riti, et ceremonie un abuso introdotto dalle quattro Dignità di cotesta Catedrale, quali pretendono di precedere nelle Processioni, et in altri atti il Canonico, che celebra, et che fa l'officio quando si trova parato; ha causato molta meraviglia a questi miei Signori Illmi, quali perciò hanno risoluto, « che io vi scriva, et commetta, che debbate levare detto abuso, et operare per ogni modo, che nell'avvenire il Canonico, che fa l'Offizio, mentre sarà parato dell'abito conveniente all'Offizio, che farà, o di Pianeta, o di Piviale, preceda, et stia nell'ultimo luogo dopo tutto il Capitolo, et così farete eseguire. Ma in evento, che questi Canonici non avessero esposto qua il vero, fatelo sapere, perchè la Congregazione vuole essere informata da chi espone la verità, » etc. Rossanen. die 7. Apr. 1598.

(10. Orta inter Episcopum Pisaurē, et Capitulum Ecclesiæ Cathedralis ejusdem Civitatis controversia, de obligatione Canonico in inserviendi eidem Episcopo in Missa privata, occasione quarumdam functionum, eaque ad S. R. C. delata, infrascripta Dubia inter partes concordata fuerunt, et pro decisione proposita.

1. An in functionibus Pontificalibus peragendis ab Episcopo extra Ecclesiam Cathedralē, teneantur Canonici ejusdem Ecclesiæ inservire vel subsequi debeant easdem functiones?

2. An tempore visitationis per Diœcesim teneantur Canonici convisitatores inservire

cum eodem Episcopo in privato Missæ Sacrificio?

3. An Episcopus ad eundem effectum cogere possit eosdem Canonicos ad sibi inserviendum in dicta celebratione Missarum? Et quatenus negative.

4. An volentes Canonici ultro inservire præmisso modo eidem Episcopo, prohiberi possint ab aliis Collegis id detrectantibus in casu etc.?

Et S. eadem C., utraque parte scripto, et voce informante audita, ac visis juribus hinc inde deductis, ad relationem E. et R. D. Cardinalis Prosperi Columna de Sciarra Pontentis, rescribendum censuit. Ad 1. 2. et 3. *Negative*.

Ad 4. *Affirmative, et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. Pisaurē. Hac die 18. Julii 1750.

(11. Cum ab antiquo, et immemorabili tempore Canonici Ecclesiæ Cathedralis diebus Dominicis, aliisque Festis infra annum occurrentibus, quando a Musicis Vesperæ decantantur, consueverint eo tempore in Choro bini, et bini Vesperas, et Completorium recitare; exortum est Dubium: An per eum modum recitandi Completorium satisfaciant Canonici muneri suo? Pro cujus declaratione Episcopus Casalen., et Canonici prædicti ad S. R. C. recursum habuerunt.

Et S. eadem C., iis omnibus mature perpensis, quæ in hanc rem deducta sunt, ad relationem Em̄i, et Rm̄i D. Cardinalis Tamburini Pontentis, rescripsit: *Canonici non satisfacere obligationi Chori, recitando modo prædicto Completorium tempore, quo a Musicis Vesperæ decantantur*. Casalen. Die 3. Aprilis 1751.

(12. Archiepiscopus Urbinatensis inter alia hæc decidenda proposuit S. C.

1. An possint Urbinaten. Canonici pontificaliter celebrare Missam in Ecclesiis Monialium, absque consensu Archiepiscopi? S. C. *Negative et amplius*. Urbinaten. die 29. Januarii 1752.

2. An in Insigniis, et Armis suæ Familiæ appositis, vel apponendis, in paramentis sacris, aliisque rebus Ecclesiam concernentibus, loco Mitræ, vel una cum ipsa Pileum apponere valeant? S. C. *Affirmative* quoad Mitram tantum, et *amplius*. Ibid. n. 2.

3. An dictæ Dignitates, et Canonici in Processionibus SS. Corporis Christi incedere possint, capite Mitra cooperto? S. C. *Negative et amplius in omnibus*. Ibid. n. 3.

(13. Convenientibus simul utroque Capitulo Cathedralis Casalensis, et Collegiatæ S. Mariæ Majoris ejusdem Civitatis in Missis Rogationum, Osculum Pacis et Thurificatio danda est Canonici et Dignitatibus etiam Collegiatæ. A quo autem Osculum et Thurificatio danda sit Dignitatibus et Canonici Collegiatæ? S. C. respondit: « Dilata, et exquiratur votum Magistrorum cæremoniarum. » Casalen. die 15 Julii 1752.

(14. Hebdomadarius in Choro intonare potest initium Horæ sequentis, priusquam

Sacerdos Evangelium S. Joannis terminaverit.

Aperta consuetudo, ut duo clerici Canonici, seu Tertianarii Tunicella seu dalmatica induti in Processione Corporis Christi thuribula deferant, et SS. Sacramentum incensent, servari potest. Conimbricen. Dubiorum die 14. April. 1753.

(15. Prima Dignitas seu prior ex Canonici tenetur sustinere librum Episcopo cantanti in Missis et Vesperis Pontificalibus ad formam Cæremonialis Episcoporum.

An dum recitatur Tertia, et Episcopus se præparat, ac sacra paramenta sumit ad Missam pontificalem, Capitulum teneatur stare capite detecto; et idem sit servandum in Vesperis pontificalibus. *Servetur Cæremoniale Episcoporum*.

An Canonici teneantur facere circum Episcopo assumenti vel dimittenti paramenta in Sacristia, et ubi hoc casu collocanda sit sedes Episcopalis. *Servetur Cæremoniale, et Episcopi sedes ita collocetur, ut ipse respiciat Canonicos*. Casalen. Dubiorum die 15. Septembr. 1753.

(16. Canonici non possunt accedere ad funera, tam lucrandi stipendii causa, quam non. Camerinen. Præminentiarum, die 16. Februarii 1754.

(17. Canonici Ecclesiæ Cathedralis Casalensis tenentur præparare scamna, non vero tapetes in functionibus Canonici Collegiatæ S. Mariæ Majoris ejusdem civit. convenientibus in Cathedrali. Casalen. Præminentiarum, die 13. Julii 1754.

(18. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Lucie retinere possunt proprium scamnum, extra Chorum, seu Presbyterium, interveniente Magistratu Sabiniani pro audiendis concionibus, aliisque functionibus in eadem Ecclesia. Collocatio vero scamnorum arbitrio et prudentiæ Episcopi committenda. Ariminen. Sedilis die 12. Aprilis 1753.

(19. Exorta inter nonnullos Canonicos Subdiaconos Ecclesiæ Collegiatæ S. Angeli in Foro piscium Urbis, et alios Canonicos Presbyteros ejusdem Ecclesiæ controversia super jure præcedendi in Choro, decidendum propositum.

An præcedentia Canonico S. Angeli in Foro piscium sit regulanda a majori vel minori Ordinis dignitate, seu potius ab antianitate possessionis Canonici, etiam quoad Canonicos Coadjutores absentibus Coadjutis, juxta præsentem consuetudinem in casu? etc. S. C. definivit:

« *Affirmative* ad primam partem, et *Negative* ad secundam; sed in casu de quo agitur, attentis peculiaribus circumstantiis, quoad Canonicos viventes nihil esse innovandum, et amplius. » Romana. Præcedentiæ die 14. Junii 1755.

(20. Delegatus Sedis Apostolicæ, seu Episcopi occasione tradendi possessionem novo Canonico, seu Dignitati, *incedere debet in habitu talari, vel Insignibus propriæ Dignitati convenientibus*. Sed non potest, post assignatum stallum in Choro, seu locum in Capitulo dicto novo Canonico seu Dignitati, inter-

venire in Choro ad gratiarum actionem fieri solitam cum cantu *Te Deum*. Pisaurē. die 25. Febr. 1758.

(21. Canonici seu Vicarii assistentes in solemnitate Missæ cum cappis seu Pluvialibus genuflectere debent in elevatione sacræ Hostiæ. Hildesimen. 7 Julii 1759.

(22. Exorta controversia inter Præpositum Ecclesiæ Collegiatæ SS. Salvatoris Civit. Maceratae et nonnullos Canonicos ejusdem Ecclesiæ super præsentia assistentia in celebratione Missarum solemnium, et proposito dubio an Præposito missam solemnem celebranti debeat assistentia Canonico in munere Diaconi et Subdiaconi, S. C. rescribendum censuit, *Affirmative*. Maceraten. die 7 Julii 1759.

(23. Episcopo Adiacen. postulante: An liceat Canonici suæ Cathedr. circum circa ipsum solemniter celebrantem, pileolo in capite retento, conficere, dum *Gloria* canitur et *Credo*, consuetudini cuidam innoxia.

S. C. declaravit: « Juxta sensum Cæremonialis Episc. Canonicos teneri ad discooperiendum caput in circulis prædictis, non obstante quacumque consuetudine. » Adiacen. die 17. Martii 1760.

(24. Episcopo pueros plebemque docenti Christianam Doctrinam Canonico Cathedralis assistentia non debetur. Pacten. die 29 Martii 1760.

(25. 1. An Dignitates omnes, et Canonici (exceptis Canonici Celebrante, Diacono, et Subdiacono) teneantur associare Episcopum cappa indutum ad Ecclesiam pedestrem accedentem Divinis Officiis interfuturum a suo cubiculo ad Sedem Episcopalem in choro, eumque, omnibus horis canonicis absolutis, vel nulla incepta, recedentem illuc reducere? S. C. *Affirmative* ad utramque partem. Dertusen. Dubiorum. die 6 Augusti 1763.

2. An omnes Dignitates, et Canonici, ut supra, eidem Episcopo curru, vel portatili sella ad Ecclesiam venienti, teneantur extra portam Cathedralis occurrere, et usque ad suam sedem in choro associare, ipsumque pariformiter ab Ecclesia discedentem ad eandem Cathedralis januam deducere? S. C. *Affirmative* usque ad locum, ubi Episcopus induit cappam. Ibid. n. 2.

3. An omnes, seu quot Dignitates, et Canonici teneantur associare Episcopum accedentem, aliqua hora canonica incepta, vel nondum absoluta, et a quo, et ad quem locum? S. C. « Quoad numerum quatuor, quoad locum provisum in superioribus. » Ibid. num. 3.

4. An Feria V, in Cœna Domini, aliisque diebus, quibus Episcopus pontificaliter celebrat, debeant non solum tres Dignitates et Canonici, qui eidem juxta morem assistunt, sed omnes pariter Dignitates et Canonici ad ejus cubiculum se conferre, et eum ad Ecclesiam, ut supra, associare? *Affirmative*. Ibid. n. 4.

13. An Gubernatori, et Decurionibus Civitatis Dertusensis locum habentibus in Presbyterio, dum cantatur Missa solemniter, fieri

debeat reverentia a Canonico celebrante, et subdiacono ante initium, et post finem Missæ, tam præsentem, quam absentem Episcopo? S. C. *Negative* in omnibus. Ibid. num. 13.

14. An, et quibus pœnis possit Episcopus compellere Dignitates, et Canonicos ad præstandum obsequia, quæ juxta S. Congregationis decisiones, sibi debita videbuntur? S. C. *Affirmative* juris remediis, et amplius in omnibus. Ibid. n. 14.

(26. Inter Canonicum anteriorem possessione Canonicatus, et Canonicum anteriorem in Ordine Sacerdotali, præcedentia debetur Canonico anteriori in possessione Canonicatus. Conversanen. die 10 Decemb. 1663.

(27. Oborta controversia inter Promotorem fiscalem Curie Episcopalis Meliten. et Canonicos Ecclesiarum Collegiarum S. Pauli Oppidi Valletæ, et S. Helenæ Imperatric. Birchirchariæ Diocesis prædictæ super genuflexione faciendâ Episcopo quoad Canonicos prædictos, et his dubiis propositis,

1. An in functionibus, aliisque in casibus in quibus Episcopus privatim adstat, et pontificaliter non indutus, Dignitates, et Canonici insignis Ecclesiæ Collegiæ S. Pauli ante ipsum transeuntes debeant eidem genuflectere, seu tantum caput, et humeros profunde inclinare in casu etc. S. C. « Providebitur in casibus particularibus. » Meliten. Genuflexionis. die 16 Maji 1772.

2. An Dignitates, et Canonici S. Helenæ Imperatricis Collegiæ Birchirchariæ in functionibus Ecclesiasticis, quoties transeunt ante Episcopum, debeant genuflectere, vel tantum caput, et humeros profunde inclinare in casu etc.? S. C. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam. Et ita decrevit, et servari mandavit. Ibid. n. 2.

(28. Super jure thurificandi Auditorem seu Gubernatorem terræ Proxendi diocesis Ferentinæ, hæc declaranda proposita fuerunt a Canonico et Capitulo Collegiæ S. Agathæ ejusdem terræ,

1. An, et a quo sit thurificandus Gubernator terræ Proxendi? Et quatenus affirmative. S. C. « Esse thurificandus a Diacono parato, duplici ductu post Canonicos. » Ferentina Thurificationis, die 9 Decembris 1773.

2. In quibus diebus, et in quibus functionibus Ecclesiasticis? S. C. « Diebus tantum solemnioribus, quibus nimirum Missa sollemnis celebratur cum Ministris paratis. » Ibid. n. 2.

3. Et quo habitu indutus esse debeat. S. C. *Vel habitu clericali talari, vel laicali aulico.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. Ibid. n. 3.

(29. Proposito Dubio an Canonici Cathedralium non celebrante Episcopo in festo SS. Corporis Christi, nec peragente Processionem, teneantur indui sacris vestibus, vel possint choralibus vestibus uti per inductam consuetudinem. S. C. rescribendum censuit. Servetur Decretum jam die 27 Martii 1628,

in una Cajetana editum, prout infra, nempe: Vicarius Capitularis etc. »

S. C. rescribendum censuit in *Cajetana*, Canonicos indui debere sacris vestibus, licet Episcopus nec celebret, nec Processionem peragat. Bitecten. die 12 Julii 1777.

(30. Cum R. Episcopo Salutarum nonnulla occurrerint dubia, humillime S. R. C. supplicavit, quatenus ea benigne decernere dignaretur. Dubia autem sunt sequentia.

1. An Canonico deferens SS. Sacramentum in Processione, quæ fieri solet cum magno concursu populi qualibet tertia Dominica cujuslibet mensis, debeat incedere indutus pluviali, et an sufficiat simplex stola super cappam? S. C. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam. Salutarum die 18 Decembris 1784.

2. An Episcopo dictam Processionem peragente, et deferente SS. Sacramentum pluviali induto, duo ex Dignitatibus, vel, illis deficientibus, duo ex senioribus Capituli debeant eidem assistere simul hinc inde procedendo induti dalmaticis? Et quatenus affirmative. S. C. « *Affirmative*, juxta modum, videlicet, Episcopo SS. Sacramentum processionaliter deferenti assistere debere duos Canonicos dalmaticis indutos. » Ibid. num. 2.

3. Utrum ad id cogi possint, si renuant? *Affirmative.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. Ibid. n. 3.

Et Sac. eadem Congregatio, audito prius voto unius ex apostolicarum cæremoniæ Magistris scriptis exarato, typisque vulgato, ad relationem E. et R. Domini Cardinalis Boschi Ponentis, rescribendum censuit.

(31. Dubia, quæ proposita fuerunt ex parte R. Capituli, et RR. Dominorum Dignitatum, et Canonicorum insignis Ecclesiæ Collegiæ S. Pauli civitatis Valletæ in Sac. Rit. Congregatione particulari habita die 19 Maji 1786, cum respective resolutionibus ejusdem Sac. Congregationis, hæc sunt, videlicet.

1. An dignitates, et Canonici Cathedralis Civitatis Notabilis, qui invitati ab Episcopo se conferunt ad Ecclesiam Collegiatam Civitatis Valletæ, occasione festivitatis naufragii S. Pauli, aut alterius cujuscumque solemnitatis, et Ecclesiasticæ functionis, interveniunt uti corpus Capituli, seu potius uti singuli, in casu etc. S. C. « Dignitates, et Canonicos intervenire collegialiter in obsequium Episcopi, et ad effectus expressos in resolutionibus Sac. Rit. Congregationis anni 1741, et in subsequentibus exprimendis. Melevitana. Præminentiarum die 19 Maji 1786. »

2. An iisdem jus competat incedendi processionaliter a dicta Collegiata ad Oratorium Charitatis pro associando Episcopo; seu potius jus hujusmodi competat ad Capitulum Collegiæ; ita ut illi a dicto Oratorio tantum una cum Episcopo pergere debeant ad Ecclesiam Collegiatam, et ab eadem Ecclesia reducere Episcopum ad oratorium in casu etc.? S. C. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. Ibid. num. 2.

3. An, et quæ assistentia a prædictis Di-

gnitatibus, et Canonico Cathedralis sit præstanda Episcopo, aut pontificaliter celebranti, aut præsentiam tantum præstanti in casu etc.? S. C. *Affirmative* ad formam resolutionum anni 1641, et juxta methodum in Cæremoniali Episcoporum præscriptam. Ibid. num. 3.

4. An Episcopo, seu Dignitatibus, et Canonico Cathedralis ab eo invitatis, jus competat ducendi ad Collegiatam capellanos, mansionarios, aliosque clericos, necnon seminaristas Cathedralis, invito Capitulo ejusdem Collegiæ, in casu, etc.? S. C. « Quoad Episcopum ad mentem *Mens est*; non denegari Episcopo jus ducendi secum personas sibi benevisas, tamquam de suo honorifico comitatu, sed non expedire, ut, præter Dignitates, et Canonicos Cathedralis, alios adducat ad hoc, ut sacris functionibus Ecclesiæ Collegiæ formaliter interveniant, et assistant. In reliquis *Negative.* » Ibid. num. 4.

5. An Cantor Cathedralis, qui cum aliis Dignitatibus, et Canonico ab Episcopo invitatis ad Collegiatam se confert, possit virgam gestare, qua utitur in Cathedrali, in casu etc.? S. C. *Negative.* Ibid. n. 5.

6. An eadem virga uti valeat Cantor Collegiæ præsentibus Canonico Cathedralis, in casu etc.? S. C. *Affirmative.* Ibid. num. 6.

7. An, quæque functiones sint ab eo peragenda, quique illi assignandus locus tam in associatione Episcopi, quam in Processionibus in casu etc.? S. C. « Ad Cantorem Ecclesiæ Collegiæ spectare functiones chorales muneris sui proprias, locum autem in associatione Episcopi, et in Processionibus assignandum esse ad formam Cæremonialis. » Ibid. num. 7.

8. An, et a quo occupandum sit stallum aliis magis elevatum in Choro existens, quo alias utitur Episcopus, quando accedit ad Collegiatam in casu etc.? S. C. *Negative* in omnibus. Ibid. num. 8.

9. An, et a quo sit præstandum thus, et osculum Evangelii Episcopo solemniter simpliciter assistenti, necnon ejusdem peragenda thurificatio in casu etc.? S. C. *Affirmative* in omnibus, ad formam Cæremonialis, et resolutionis superioris Dubii sub numero tertio. Ibid. num. 9.

10. An Canonico Collegiæ jus competat in Processione utendi clava capitulari in casu etc.? S. C. *Negative in casu*, Mens autem S. R. C. hæc fuit: « Si placeat Capitulo Collegiæ Ministrum aliquem deputare, qui tenens baculum quomodocumque ornatum turbas submoveat, Ministrum hujusmodi tantum in casu etc. universæ Processioni præire posse. » Ibid. num. 10.

11. An, et quo ordine incedere debeat in dicta Processione clavicularius aut Cathedralis, aut Collegiæ in casu etc.? S. C. *Negative* ad utrumque. Ibid. num. 11.

12. An in dictis Processionibus Dignitates, et Canonici Collegiæ iisdem uti valeant cereis, quibus utuntur Dignitates, et Canonici Cathedralis in casu etc.? S. C. *Affirmative.* Ibid. num. 12.

13. An, et ubi incedere debeat in Processionibus prædictis Acolythus cum pluviali baculum deferens Episcopalem in casu, etc.? S. C. *Affirmative* ad formam Cæremonialis. Ibid. num. 13.

14. An Dignitates et Canonici Cathedralis, occasione prædictarum functionum, uti valeant mitra, necnon planetis, ac respective pluvialibus tam in Choro, quam in Processionibus? Et quatenus affirmative quoad planetas, et pluvialia. S. C. *Affirmative* in omnibus. Ibid. num. 14.

15. An iisdem uti valeant Dignitates et Canonici Collegiæ in casu, etc.?

Dubia quæ proposita fuerunt ex parte Rmorum Dnrum Canonicorum Ven. Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Notabilis, pariter cum respectivis resolutionibus, nempe. S. C. *Affirmative.* Ibid. n. 15.

16. An sit servanda, et exequenda transactio in casu, etc.? Et quatenus negative. S. C. *Negative.* Ibid. num. 16.

17. An Capitulo Collegiæ S. Pauli, præsentibus Dignitatibus, et Canonico Capituli Cathedralis in die Festivitatis naufragii S. Pauli, competat jus utendi cappa magna cum pellibus armellinis in casu, etc.? S. C. *Negative ad mentem*, quæ fuit: « attento quod Dignitates, et Canonici Cathedralis Melitensis, et post erectionem Collegiæ D. Pauli, et post resolutiones anno 1741, emanatas, novis, et majoribus insigniis, quibus a reliquo Clero, et a Canonico diætæ Collegiæ distinguuntur, ab Apostolica Sede decorati fuerunt: Quodque iidem in tractatibus cor. Episcopo habitis anno 1741, suum præbuerunt consensum, ut, convenientibus ipsis in Ecclesiam Collegiatam, occasione solemnitatis Naufragii Divi Pauli, ejusdem Collegiæ Canonici cappas magnas cum pellibus armellinis deferre valerent, horum nomine, si placuerit, supplicandum SS., ut ad hujusmodi effectum, et in hac parte derogare dignetur literis Apostolicis super eorum Collegiæ erectione a Clemente XII. editis etc. » Ibid. num. 17.

18. An prædictis Dignitatibus, et Canonico Cathedralis competat jus elevandi propriam Crucem in processione peragenda in eadem Festivitate, in casu etc., seu potius incedere debeant sub Cruce Capituli Collegiæ? S. C. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. Ibid. n. 18.

19. An, quando, et a quo sit faciendâ thurificatio tam Dignitatibus, et Canonico Capituli Cathedralis, quam Capitulo Collegiæ in eadem Festivitate in casu etc.? S. C. *Affirmative* in omnibus ad formam Cæremonialis, et resolutionis anni 1741. Ibid. num. 19.

20. An, quomodo, et a quo sit accipiendum et communicandum osculum pacis in casu etc.? S. C. *Affirmative*, ut ad proxime superius. Ibid. num. 20.

21. An Dignitatibus, et Canonico Capituli Cathedralis in Processione præcedere possit proprius scutifer, seu clavicularius in casu etc.? S. C. « Provisum in numero undecimo. » Ibid. num. 21.